

Bücheri Fanaticismus pag. 22. Plures cum Veteres, tum Recentiores
recenset B. D. Lochnerus in Disp. Inaug. de Separatismo passim. (2.)
Specialiter pro separatione sanctioris vitæ gratia suscepta. Quo-
modo Pharisei in VII. Ordines erant divisi, quos Alltedius re-
censet dicto loco, & Lightfoot in Hor. Hebr. p. 234. Quos secuti
sunt Schvvenckfeldiani, Labadistæ, & alii, quos magno numero al-
legat D. Lochnerus in Disput. Inaugurali. Spectant huc Pietistæ,
qui Ecclesiam nostram vocant Babelen, Ministerium Ecclesiasticum
Carnale, quid? Academias Latronum latebras, voluntque privata
pietatis collegia esse anteferenda publicis concionibus & alia. D. D.
Schelvvigii Sectirische Pietisterei. itemque qui scripto vinculum
pietatis legibus certis munitum cum aliis ineunt, seque mutuo obstrin-
gunt, ut quis omnem carnalium conversationem fugiat, alterque
alterum assiduis literis ad pietatis (modo fucata non esset) majoris
commercium sollicitet. D. D. Fechtius c. I. (3) Specialissime pro illa,
qua sub specie prætensæ majoris devotionis ad S. Synaxin aliqui acce-
dere avertent exclusis inferioribus, egenis, servis, qui tamen sub illa
pietatis *μεγάλωσει* carnis suæ superbientis dominium occultant, &
si non coram hominibus palam, certe coram Deo explicant, sibi non
esse congruum, quia alienum à suo æstimo videri, communicare cum
plebe. Quomodo multi Corinthi se ab Ecclesia per factum ac con-
temptum separavit in suam perniciem ac damnum.

§. 2. Equidem non quævis secessio ac separatio ab aliis schisma
est dicenda, ipse enim Apostolus vetat communionem fovere cum
improbis 2. Cor. 6, 17. quomodo Babel est exeundum Es 52, 11. A-
poc. 18, 4. nec communicandum cum impiis, ut fecerunt 7000. Is-
raëlitarum non facientes cum Baalitis: ab his enim secesserant non cor-
poraliter, erant enim adhuc in medio Israelitarum cœtu, sed menta-
liter non communicando cum ipsorum idololatria, sed ab hac dissen-
tiendo. Idem Apostolica Ecclesia, quam diu ipsi licebat Hierosoly-
mis hospitari, fecit, abnegando Judaismi impietatem, non tamen om-
nem conversationem cum aliis fugiendo, aut à templi visitatione
cultusque divini publica observantia abstinendo. Quod si vero hæ-
resis in fide, idololatria in cultu, impietas in praxi & moribus, aut ty-
rannis in regimine, vel omnia simul, ad summum venerint, sintque
hæc